

dicimus quam Liberianum et in spatiis episcopatuum ordinandis utroque uti potuit. Duplices numeros non videtur posuisse, quoniam eiusmodi geminationum codices exempla nulla suppeditant excepto uno *E*, quem constat ex contaminatione saec. XI originem trahere. Posteriore interpolatione in librum Pontificalem venisse ea quae habet ex catalogo Liberiano negandum est; nam huiusce libelli paucis noti vestigia maxime reperiuntur in editionis prioris reliquiis *KE*, adsunt in *FAB* iis fere locis solis, in quibus Index deficit. Quod si superesset editionis prioris exemplum integrum, sine dubio numeri Liberiani in eo primarium locum tenerent; eum enim laterculum ad chronicorum formam prope accedentem fundamentum operis sui esse voluit auctor Pontificalis itaque verisimile est numeros quoque ubi laterculi duo differebant ad hunc potissimum eum formasse. Sed tempore procedente cum Indicis exemplaria ubivis prostarent et insertus collectionibus conciliorum et decretorum papalium Index quoque ad canonicam quodammodo auctoritatem pervenisset, ad eum vetusta episcoporum ordinatio spatiaque ei non congruentia subinde mutata sunt.

Ad chronologiam episcoporum Romanorum ordinandam Pontificalis liber inutilis est, si exceperis supplementa quae praebet ad explendos hiatus catalogi Liberiani et praeterea, ut consentaneum est, partis posterioris spatia maiore ex parte sine dubio non ex laterculo aliquo in Pontificalem librum translata, sed in Pontificale corpus ab aequalibus relata et inde fere ad laterculos adiecta. In reliquis ad episcopatum spatia determinanda redeundum est ad duos laterculos primitivos, ex quibus Pontificalis auctores et ordinatores pendent. Contra qui spretis fontibus purioribus ex hoc turbido lacu hauriunt, graviter errant et sibi aliisque melius consulent abstinentes in rebus saeculorum priorum explicandis a libro Pontificali. Quam imperite rem egerit qui eum instituit, supra vidimus et in aliis et ubi egimus de Cleto et Clemente inversis; quam impudenter in libris non reperta de suo addiderit, monstrant intervalla sede vacante inter duos pontificatus enuntiata perpetuo inde ab eo quod intercessisse dicitur inter Cletum et Clementem¹. Proficiscuntur ea omnino a primo auctore (consentiunt enim fere in hisce numeris duae epitomae *FK* et libri pleni omnes), ita autem comparata sunt, ut ubicumque dies

1) Duchesne I, p. CLX.